

Q. N. 153, 26.

X2021150

No: 39

Yb
2243

ORATIO VALEDICTORIA

Quam

DE LAUDIBUS
GUBINÆ,

IN SCHOLA GUBINENSI

publicè prid. Cal. Februar. Anno 1663. habuit.

PHILIPPUS JACOBUS TITIUS,
Sag. Siles. ejusdem Scholæ hactenus Alumnus.



Cassiodorus in Epist.

Invitat ad magna; qui gratanter suscipit modica: Et spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit: nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur.

GUBENÆ, TYPIS ERASMI ROESNERI,

Excudebat JOHANN KOCH, ANNO M. DC. LXII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

0226 30. A



183
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
prudentiâ eruditioneque præcellentibus Viris,

DN. CONSULIBUS,

cæterisque inclytæ Reipubl. Gubinensis

SENATORIBUS,

Evergetis & Patronis apprimè colendis S. P. D.

Sub vestri nominis auspicio, Viri Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi, Doctissimi, in lucem jam prodit PHILIPPI JACOBI TITII Saganensis Silesij valedictoria Oratio, quam superioribus diebus publicè habere, inque ipsâ pro beneficiis, quibus continuum in hac Schola sexennium fruebatur, ex intima coram No. gratias agere, imprimis verò Gubinae natales, incrementa, immunitates, ornamenta, vigella item calamitatesque ex DEI benignitate fortiter sepicule sustentas recensere, & ... quidem, quæ a hoc tempus est, urbem antiquiori ob puriorem religionem, politicumque ordinem longè præferre non dubitavit. Accipite, Patroni nunquam non suscipiendi, accipite, quæsumus, imò serenâ, uti consuevistis, fronte istud pignus monumentumque gratitudinis accipite, atque auctori vestræ Amplitudini impense velificanti, ejusque studiis partim gloriæ divinæ, partim communi saluti destinatis nulla in re deestote, quippe qui pro beneficiis perceptis vobis se omnia sua debere ingenuè profitetur. Ille ipse tantis præmiis excitatus, ut Gubina nostra in perpetuum fausta, felix, sæcunda, tranquilla sit, liberi que vestri, & qui nascentur ab illis, vasa misericordie, ac organa cum Ecclesiæ tum Reipubl. salutaria evadant, omnibus à DEO Ter. Opt. Max. precibus petere indefessè laborabit. Interim pancratice valete & multò prosperrimè agite. Dab. Gub. Sexto Februarij. ANNO M. DC. LXIII.

Qui amplitudinis vestræ studiosissimus est,

JOHANNES STURMIUS,
Pastor Eccles. Gub. & Inspector.



1238

PAUCISSIMIS quidem, Viri omnium ordinum præstantissimi, paucissimis, inquam; sed horrorem omnibus, in quibus vel una gratitudinis scintillula est, incutientibus verbis Ausonius ingrati animi crimen describit, & ut ne illud in nobis esse sinamus; sed à Chimæra illa noxia virtutis Pegaso nos expediamus, hortatur, cum sævisissima quidem animalia, quæ homines & bestias sine discrimine dilaniant ac devorant, à terra omnium rerum procreatrice gigni, illa tamen ingrato homine multò meliora, gratitudineq; superiora esse affirmat, inquiens: *Nil homine terra pejus ingrato creat.* Quis enim est, qui leonum sævitiam ignoret, aut crudelitatem eorum in dubium vocet? Omnes confitebuntur, leones esse animantes præ cæteris furibundos, adeò, ut etiam sacra scriptura furorem Satanæ cum illorum furore conferat: Tamen tanta in iis est gratitudo, ut sævitiam ineffabilem superet. Si desideratis exemplum, non longè mihi abeundum est, nec reconditarum historiarum scrinia perscrutanda sunt: In promptu est unum ex Gellio, qui leonem Romæ capto militi cuidam, qui bestiis objectus erat, gratiam retulisse, memoriæ prodidit. Romæ, inquit,

Exordium
à dicto Ausonij.

Epigr. 132.
Ratio illustrata.

7.
Exemplo
leonis &
Androdi ex
Gellio. lib. 5.
c. 14.



1839.
inquit, olim, postquam inter bestiarios in circum
maximum, ubi tum feræ magnitudine & sævitiâ in-
signes, sed præter omnes leonum insignis & admi-
rabilis immanitas erat, quidam Dacus introductus
esset: Unus qui præter cæteros vastitate corporis &
terrifico fremitu spectantium in se oculos auresque
converterat, Androdo (nam militi id erat nomen)
viso, quasi admirans constitit, deinde sensim ad ho-
minem perrexit, caudam more canum adulantium
blandè movit, crura & manus propè jam exanimati
lambere cæpit. Cum autem Androdo paulatim
intertalia blandimenta, ubi se collegerat, auderet
leonem intueri, & illum recognoscere, à quo re-
cognoscebatur, accersitus à Cæsare, quæsitâ causâ,
cur ipsi leo atrocissimus pepercerit, narrat se hujus
leonis pedem stipite vulneratum sanâsse, & trienni-
um totum cum ipso in eodem antro, eodemq; victu
transegisse. O igitur horrendum, licet non inau-
ditum, & ante omnia detestabile vitium, quod etiâ
atrocissimus leo, fremens & viscera vacua hominis
carne implere cupiens suâ rabie multò pejus esse, re-
iplâ indicavit! Et quid boni ab ingrato aliquis expe-
ctare potest? Cum Cicero ingratitude omnium
malorum, omnium vitiorum, omnium flagitio-
rum fontem ac scaturiginem nominet, & summa-
tim in ea nihil mali non inesse non solum dicat, sed
etiam, cum ab eo ipso, quem eloquentiâ nunquam
fatis

2.
*Testimonia
Ciceronis.*

1840.
fatis laudatâ à morte, quam scelere, ut adversarij ar-
bitrabantur, meritus erat, liberavit, decollatus ex vi-
vis egrederetur, se vera prædicâsse sit expertus. *Applicatio.*
Cujus vitij cum & ego, si ita Gubinâ, ubi multis, imò
innumeris affectus sum beneficiis, abirem, & grati-
as, cum referre non potissim, haud dicerem, postu-
landus essem, publicè gratias agere ante abitionem
meam jam dudum constitui. Verùm ita meditati-
tenuitas mei ingenij semper terrorem incussit, adeò
ut facilè me abstertere potuisset, quem tamen nunc
amor hujus urbis, & gratitudinis stimuli rursus ex-
cusserunt, mihiq; pervaserunt, non stylum, non ex-
ornatam & expolitam orationem à me requiri; sed
gratum animum. *Propositio.* Quare, quoniam nunc nihil con-
venientius proferre queo, pauca de hac urbe verba
facere, & Gubinam veterem cum hodierna confer-
re, quantoq; præstantior hodierna antiquâ sit, ita
tamen, ut Geographos, qui in orbis descriptione Ni-
lum, aliosque fluvios prægrandes (minutulorum
enim non habetur ratio) tenuissimis lineolis, & Ro-
mam, Constantinopolin, & alias urbes potentissi-
mas exiguis punctulis designant, imitarer, demon-
strare decrevi. *Axioma.* Qua propter etiam atq; etiam peto,
ut comparationi huic, non phaleratis verbis dotatae;
sed brevitatem nudam atq; inornatam habituræ ad
exiguum tempus aurium vestrarum, operam mihi
locetis.

A 3

Cogitanti

1891.
Confirma-
tio.

Situs Gu-
binæ.

Abbatie
Neocellen-
sis fundatio

Nissus
subesse

Navigatio.

Cogitanti autem, unde exordiar, statim in hujus
comparationis vestibulo offert se Gubinæ situs, ubi
mihi persvadeo vestrum esse, qui dubitet, neminem,
Gubinam eo loco, quo ab initio fuit, esse sitam; Et
vicinam habere Sommerfeldam, Croſnam, For-
ſtam, & novam Zellam, quæ duodecimo seculo post
Christi salutiferam nativitatem ab Heinrico Illuſtri
eo loco, ubi pagus Starzedel jam conspicitur, fun-
data, indeq; postea Fürſtenbergam verſus translata
est: Et Niſſo fluvio Lupaq; amne, qui ad urbem
hanc Niſſum ingreditur, lambi, iisdemq; non ſolùm
allui; ſed etiam, adjuvante Viadro, Sedinum &
V Vratiſlaviam uſq; , uti antea, poſſe navigari. Ex
quo loco ſuperiore anno non parvos percepit civi-
tas noſtra fructus. Cum enim agri noſtri fructum
non tuliffent, qui incolis alendis ſufficeret, frumen-
ta ubiq; deficerent, & ad ſublevandam inopiam
mercatores aliquoties centum navibus frumento-
rum emendorum cauſâ V Vratiſlaviam irent, eo
ipſo modo famem ſuam, importatis frumentis, de-
pellere potuit. Quod ſi fluvius eam non attigiſſet,
fieri id nequiviſſet, & multis cibo carendum breviq;
fame pereundum fuiſſet. Sicuti autem arbulcula
ſimulac è terra prodit, non ilico arbor grandis, ra-
mis circumdata, frondibus aucta, foliis impleta,
fructibus ornata eſt; ſed ſingulis annis creſcens
grandior fit, donec tandem arboris nomen tueri,
fructumq;

fructumq; ferre possit uberrimum : Ita hæc urbs
non initio statim oppidum variis ornamentis au-
ctum fuit; sed pagus incultus, dumetis, sentibusq;
circumdatus, quem rudes ac sordidi rustici, non so-
lùm morum, artiumq; ignari, sed etiã veræ reli-
gionis inopes, & densissimis errorum tenebris invo-
luti incolebant. Postea verò, cum Vindorum, Scla-
vorum, aliorumq; ejusdem furfuris hominum nu-
merus major fieret, Marchiaq; & Lusatia iis essent
completæ: Franci hoc agrè tulerunt, & invidiã, (po-
pulus enim populo invidet) adducti anno salutis
per Christum restitutæ CXL. imperante Marcomi-
ro Duce, Marchinam expugnantes Vandalos exter-
minârunt, atque sedem fixuri urbes condiderunt.
Horum exemplo cum Lucas Romanorum Dux
commotus, Sclavis ex agro Gubinensi circiter an-
num Christi CCC. pulsis, pagum in oppidulum
transfunderet, & Francis, qui sub vexillo ejus mili-
tabant, habitandum traderet, Gubina incolis suis
agrestibus, ita tamen, ut semen quoddam remane-
ret, liberata, primum dignitatis gradum ascendit.
Deinde cum honoribus tantis aucta non cessaret,
neq; quiesceret; sed sicut artibus, ita virtutibus dili-
gentiorem operam locaret, majoribus etiam ho-
noribus, Comitatus nimirum titulo, insignita est,
atq; post abitum ex hac vita Comitæ Theodorici,
qui filiam suam gnato V Vittekindi M. in matrimo-
nium

Gubina
olim pagus.

Vandali à
Francis ex-
pulsis.

A.C. 140

A.C. 300.

Gubina fit
Comitatus.

Gubina fit
Juris Ro-
mani urbs.

184
Latrones

Vandali impij

Heinricus
Auceps
Vandalos
ad Christi-
anam reli-
gionem co-
git.

Donat Gu-
bine im-
munitates,
eamq; ur-
bem renun-
ciat.

A.C. 920

nium commiserat, in Romani Imperij venit pote-
statem. Etsi sunt, qui Gubynam arcem fuisse, quam
prædones & latrones, qui viatoribus insidias struxis-
sent, atq; omnia, quæ vi peregrinatoribus rapuissent,
in eam convectâssent, ibiq; reservâssent, inhabitasse
affirmant. Quibus an assentiendum, aliis dispu-
tandum relinquam. Ad cætera pergo. Cum igitur
manifestum esset, Vandalos illius temporis esse ho-
mines mali commatis, nequissimos, scelestissimos,
atq; Ethnicæ idololatriæ præ cæteris maximè dedi-
tos, Henricus Auceps Imperator tales homines ad
amplectendam religionem Christianam cogi ex usu
esse duxit, & quia nullo modo commodiùs, nisi a-
perto Marte, fieri poterat, milite collecto, ipsis bel-
lum intulit, eosq; in Marchia, licet injuriam illatam
propulsare cupidi acriter resisterent, fudit ac vicit.
His victis, cum Imperator pergens Gubynam venis-
set, eam circumsecessisset, circumsecessam occupasset,
oppidulumq; quod utraq; pars aquis allueretur, ar-
rideret, egregiis privilegiis ei donatis, concessa nimi-
rum omnibus incolis, sive intra sive extra habita-
rent, libertate, omnibus in Imperij Romani locis
absq; vectigali mercaturam exercendi licentia, per
annos triginta ab omni censu immunitate, & libera-
tionem, qui officiis præessent, electione, urbem re-
nunciavit, & vectigalia, quò esset, unde ædificia
publica extrui possent, poscere jussit. O Imperato-
rem

1877
rem immortalī laudē, præsertim apud Gubinenses,
dignissimum! O Principem clementissimum! Gu-
bina fermè omnia huic Imperatori accepta ferre co-
gitur, quoniam non solùm eam in urbem transfor-
mavit; sed insuper, ut clementia atq; affectus ejus
erga Gubinam ad posteros etiam notus esset, nomi-
nis Gubinæ impositione dignatus est. Annales
enim, incolas, cum ab Imperatore obsessi essent, pa-
ludibus, quæ oppidulum circumdederunt, fretos,
atq; Imperatoris exercitū ea transire non posse sto-
lidè putantes, *Schgubin verlohren*/ clamasse ac vo-
ciferatos esse, docent, indeq; Henricum oppido no-
men Gubin imposuisse. Cum autem considera-
mus, Gubina quid antea fuerit, & hodierno die eam
oculis perlustramus, in admirationem rapiamur
necesse est. Nam cum antea vidisses casulas tectas
stramine; hodie præclara ædificia ac templa vides.
Turcæ celebrantur, quod domibus suis extruendis
parvos, ædificiis verò publicis, templis videlicet &
balneis sumptus, quantos possunt, maximos impen-
dere consueverint: Eadem laude Gubina claret,
ædes privatas ita quidem ædificat, ut eas ostendens
erubescere non cogatur, templa verò, & curiam
multò elegantius extrui curavit. Oculis perambu-
late templum parochiale *D. Laurentio à papicolis*
dicatum, quod tanta est altitudine, ut id nullum ædi-
ficiam exæquet; tam præcipiti tecto, ut ignis illi

*Nomen
Gubinae un-
de.*

*Ædificia
vetera, &
nova.*

*Templum
parochiale.*

B

tam

1845.
1610
Turrus tem-
pli.
Curia.
tam facile nocumento esse non possit; tam multis
& sumptuosis fenestris ornatum, & fornice quàm
artificiosissimè factò, qui septemdecim columnis,
quarum fundamentum tam profundè positum est,
ut aquâ madefiat, suffulcitur, condecoratum: Con-
templamini porticus, in quibus omnes tum V. tum
N. T. historiæ egregiè pictæ sunt: Aspiciete præcla-
rum Organon, quod anno millesimo, sexcentesimo
decimo confectum est, pro cuius pictura tantum
pictores bis centum & septuaginta Joachimicos ac-
ceperunt: Recognoscite receptaculum illud, in quo
papicolæ corpus Domini reservabant, quod anno
M. D. XII. Budissæ tam affabrè elaboratum est, ut,
etsi usui jam non est, templo tamen sit ornamento:
Contemplatu dignam judicate turrim, cujus extru-
endæ initium anno M. D. XXV. 3. Cal. Julij, in
quem incidebat memoria Petri & Pauli Apostolo-
rum, factum est, nonne ea altitudine & elegantia
structuræ multas aliarum urbium turres vincit?
Considerate Curiam, in cuius Senaculo horolo-
gij index, ut ex turri super impositâ horas indicet,
anno M. D. XLVI. factus est; Domum item,
quæ anno M. D. XLV. in eum finem, ut opifices
merces suas in ea commodè extrudere & vendere
possent, est extructa. Olim Gubina muro carebat,
palis tantummodo erat circumdata: Successu au-
tem temporis anno scilicet M. D. XXIII. pars muri
molæ

molæ proxima cum propugnaculis extructa : anno
M. D. X X X. propugnaculum portæ, quâ Sommer-
feldam imus, à Johanne Neuburgo artifice confe-
ctum, anno M. D. XLIII. turris, portam, quâ Crof-
nam itur, muniens cum illa parte mœnium ædifi-
cata : anno M. D. XLIV. turri portæ monasterien-
sis, in quâ ædificandâ triennium consumptum erat,
extrema manus addita, & pons ante portam Crof-
nenlem Lupæ, sicuti anno M. D. X C V. pons ante
portam, quæ ex aduerso monasterij est, Nisso impo-
situs est. Quæ omnia ita ab interitu vindicata sunt,
ut hodie Gubinam mœnibus, propugnaculis, ut &
VI. turribus munitam, fossis aquâ semper plenis
cinctam videas. Superioribus seculis ad Galli can-
tum tempus dimetiebaris ; jam tria horologia, quo-
rum unum præterea partes horæ indicat, horarum
indiciam faciunt : Antea, quoniam anno M. D. L.
per fistulas aquam ex pago Kaldenborn in urbem
ducere conantes frustra laborarant, aquam ex fon-
tibus magno conatu haurire coactuses ; jam ex tu-
bis eam vasis potes capere. Hoc enim seculo aqui-
lex quidam peritior aquæductum architectatus
est, ita ut in turri portæ, quâ in monasterium via pa-
ret, contiguâ tres siphones aquam ex alveo, quam
Nissus in eum mittit, attrahant, & in tres fistulas, in
quibus aqua in totum oppidum, in omnes plateas
& plurimas domos ducitur, rursus emittant. An-
tiqua

Mœnibus
quando
Gubena
cingi cœ-
pta.

Pontium
structura.

Turres &
fossæ.

Horologia.

Aquæ
ductus.

189

Privilegia.

Henrici Aucupis.

Friderici Barbarosse.

Bulconis.

A 1360

Rudolphi.

Johannes.

Ferdinandus.

+ Albrecht Com. Sic. 1544

Fertilitas.

1140

sub Albrecht Hugo. et. Fraud.

tiqua Gubina privilegiiis erat inops, hodierna multis munita est privilegiiis. Præclarum est illud privilegium, cuius argumentum supra enarravi, quod ab Henrico Aucupe Imperatore conlectuta est: Præclarum est illud, quod Fridericus Barbarossa Imperator triduum Gubinae commoratus gratitudinis ergo urbi reliquit: Præclarum est illud, quo Bulco I. Dux, palos oppidum cingentes sterni, atq; moenibus urbem muniri jussit, item Curiam, Tribus, nundinas, aliaq; præclara concessit: Præclarum est illud, quo Rudolphus Alberti II. filius Urbi libertatem cudendæ monetæ, omnibus ex ea fructibus redeuntibus fruendi, cunctisq; in locis imperio suo subiectis, absq; vectigalibus mercandi largitus est, & Ju- dæos, quibus certa platea prope Valentini Serchen domum erat, legibus urbanis subjecit: Præclarum est illud, quo Johannes Caroli I V. filius Senatui Senatores eligendi potestatem fecit: Præclarum est illud, quo Ferdinandus ^{Imp. Sic.} intercessione Pro-Marchionis commotus Gubinensibus jus sale invehendi ac vendendi concessit. Fertilitas quoq; nequaquam tacenda, quæ tanta est, ut nemo hominum tempora præterita, quibus veteres incolæ vino, & multitudine frugum carebant, possit recordari. Quanquam primi ac vetustissimi loci hujus habitatores vitium colendarum rationem ignorârunt: quoad anno M. C. XL. multi Rhenanorum hoc in loco sedem figentes



figentes traduces attulerunt, & incolas imperitos
culturam vinearum docuerunt. Quæ cum in opi-
natâ Lithuanorum & Rufforum incurfione anno
M. CCC. XXVI. ad unam omnes effent vaftatæ,
magno poffefforum impendio fuerunt reftauran-
dæ. Et hæc cultura non rarò uberio- rem gignit fru-
ctum, quam agrorum, id quod anno M. D. XLIV.
patuit, quo quadringenta & quinquaginta ſex dolia
albo, & mille tercentum & octo rubro vino impleta
Gubina ex vineis ſuis accepit: Præfertim verò anno
M. D. XLVII. quo ter mille octingenta, octoginta
quatuor dolia albo, & bis mille, centum & octoginta
octo rubro implevit. Agrorum tamen ubertatem,
vinearum laudes proſequens, non nego. Ea enim
etiam Gubinam interdum adeò locupletat, ut aliis
etiam urbibus, vel Emporiis, quæ hæc multò ſunt
digniora, alimenta præbere poſſit. Hujus tu, Fran-
cofurdia, *ἀξιότιμος* testis eſto: confitearis oportet, te
non ſolùm, poma, lardum, carnẽ; ſed & fruges Gu-
binæ nonnunquã coëmere, tuæq; inopiæ auxilium
hinc petere. Verùm quoniã res & tempus exigere &
poſtulare videtur, ut de Civitate jam dicam, paucis,
qualis Magiſtratus antea fuerit, qualisq; nunc ſit, &
ſubditos Magiſtratus ſui, juxta proverbium & veri-
verbiũ, qualis REX, talis GREX, plerumq; ſimilimos
fuiſſe exponam. Olim non ſolùm Principes Vanda-
li, agreſti ingenio præditi, & infideles homines; ſed

B 3

etiam

1898
Uladiſlai
Lochci
Pol. Reg.

Scientia co-
lendarum
vitium à
Rhenanis
accepta.

Copia vini.

Copia fru-
gum.

Magiſtra-
tus & ſub-
diti anti-
qui.

Vandalis
etiam subditi Vandali, omnium artium ignari, &
quia ipsis proverbium,

Vandalus est sine Pa, sine Pi, sine Con, sine Veri,

Hoc est, pacis impatiens, impius, conscientiae
expers, mendax, competebat: non homines, sed
bestiae, non DEI; sed cacodæmonis filij fuerunt.
Homo enim ζῷον, secundum Aristotelem, φύσει πολιτικόν
lubenti animo cum hominibus conversatur, homi-
num consortio gaudet, illos convenit, sermones
miscet, neque iurgandi causa; sed amicitiae alendae
ergo, vultum ad caelum tollit, & omnibus in pericu-
lis inde auxilium expectat. Digni igitur hominis
nomine non sunt ii, qui concordiam ferre non pos-
sunt, litem malunt, quam pacem, odium quam
amorem, inimicitiam quam amicitiam: Digni non
sunt, qui pietati non student, Deum non verè co-
lunt, in periculis non invocant: qui caput ad caelum
non attollunt; sed ad terram declinant, majori
amore terrena, libidinem, aliasque voluptates mun-
danas prosequuntur, quam Deum: qui peccata com-
mittere pergunt, conscientiae vulnus non sentiunt,
nec de poenitentia unquam cogitant. Talis ne ergo
homo, qui ratione, qua à bestiis differt, non iuti-
tur; sed, ac si ratio ipsi non inesset, vitam insanam
agit, ferae dissimilis est? Imò ferissima fera: Talis ne
homo, qui tota plaústra mendaciorum profert, Dei
est

1850.
est filius? Imò cacodæmonis, qui omnium menda-
ciorum autor & fautor, charissimus est filius. Et his
virtutibus tamen veteres hujus loci incolæ sedulò
operam dederunt, sæpiuscule fidem datam violâ-
runt, Ethnicæ insanix addicti verum Deum neglexe-
runt, & quoties fidem Christianam se amplexuros
juramento promiserunt, toties etiam à Deo descii-
verunt, & ad ingenium redierunt. Postea verò, plu-
ribus pulsis, animisq; reliquorum fractis, Germani
ac Rhenani cum Francis in hac urbe habitare cœpe-
runt, mores, artes, linguam Germanicam ita pro-
pagarunt, ut Gubinæ non amplius Vandalici, qua-
les olim hic erant; sed Germani, benefici, eruditi,
ac fortes cives reperirentur, talesq; viri, quorum
operâ Principes & Imperatores uti poterunt, evade-
rent. Nam, ut alios taceam, unde D. Johann
Mühlbach Cæsari ab intimis consiliis & Cancellaria-
riis, qui, itinere in Syriam confecto, ex vivis egres-
sus & Viennæ sepultus est, erat oriundus? Athenis-
ne, unde multi præstantissimi viri prodierunt? Ve-
ritatis amantes hoc negabunt. Unde igitur? Gu-
binâ: Unde Johann Faber Alberti I. Imperatoris
Consiliarius, qui eadem in urbe in templo Divi Ja-
cobi, efflatâ animâ, in terram reconditus est, erat
oriundus? Num Româ, quæ plurimos viros præ-
claros peperit? Hoc Gubina non concedet. Unde
igitur? hâc nostrâ Gubinâ: Hæc hæc horum
viro-
rum

*Rhenani ac
Francis
mores & ar-
tibus culti-
ores incola.*

*D. Johann
Mühlbach,
Cancellarius
Cæsaris.*

*Johann
Faber Con-
siliarius.*

1851.
Hussitarum
crudelitas.

1430

Anus serva-
ta D. Jere-
mias Barth
lib. III. Di-
æretici Me-
dico-histo-
rici.

virorum excellentissimorum patria est. Neque
solum viros, doctrinâ non ex triviis neq; ex circulis
haustâ imbutos habuit; sed etiam tales aluit cives,
qui ita se gesserunt, ut incertus sim, audaciores ne,
an fortiores fuerint. Nam cum milites illi, qui Jo-
hannis Husli martyris mortem ulciscendi causâ plu-
rimas regiones peragrabant, obvia quæq; everte-
bant, & miris modis populos multos affligebant,
urbem hanc anno M. CCCC. XXX. etiam bello
invaderent: Incolæ, etsi viribus hosti impares erant,
urbe tamen exierunt, & hostem rejicere conati præ-
lium commiserunt; sed minus secundum. Cives
enim ad unum occisi insepulti jacuerunt, corpori-
bus canum famelicorû viscera (unde via, quâ cecide-
rant, die *Hundes - Gasse* vocata est) impleverunt,
hostes deinde urbem ingressi, & per plateas sparsi,
omnes, nulla neq; ætatis, neq; dignitatis habitâ rati-
one, prostraverunt, & monachos monasteriû, quod
in area, ubi domû curribus asservandis destinata
jam videre licet, extructum inhabitantes pudendis
de muro suspenderunt. In qua lanienâ tamen anum
quandam D. Barthius hujus urbis quondam, imò
totius inferioris Lusatix Provincialis Medicus lon-
gè famigeratissimus in vivis mirabiliter hunc in mo-
dum conservatam esse his verbis recenset. Cùm
Thaboritæ, Gubinam crudelissimè diriperent, nulli
sexui parcentes, ut, populosisima urbs commune
suorum

180.
suorum civium redderetur sepulchrum: Anus quæ-
dam in suburbio habitans, vitulum, ut eum servaret,
peplo amictum, & fasciis infantis instar involutum
in cunis ad cantum motitare cœpit: Quo viso, mi-
lites hypocœstum ingressi toti attoniti subitò re-
cesserunt, reliquosq; adhortati sunt, ne ingredi per-
gerent; siquidem Diabolus pullos suos in illis ædi-
bus excluderet; indicio esse, quod vetula intus
quendam juniorem cacodæmona in cunabulis jam
agitaret, atq; hac ratione vitulus illi fœminæ serva-
tus, & milites turpiter delusi. Temerè quidem eos
iplos fecisse, quod pauci multitudini non cesserunt,
singulari tamen laude dignum esse arbitror, quod
pro patria mori dulce existimârunt. Verùm, ut ut
est, fuerint eruditi, fuerint fortes: Tamen papicolæ
fuerunt, sanctos adorârunt, & variis ludibriis tem-
pus triverunt, adeòq; pertinaces fuerunt, ut, licet
exitus tragicos sentirent, ab idololatria tamen di-
moveri non possent. Nam cum anno M. D. XIX.
papicolæ comœdiam de Passione Domini nostri
JESU CHRISTI more suo agerent in foro, & personas,
interq; eas novem Diabolos adornarent, decimus
accessit, qui sese cæteris associavit, eos præstigiis su-
peravit, nec longò post ignem in Kühnij angiporto
accendit, quò omnes curriculo accurrunt, atq; inte-
rea cruci alligatum relinquunt, qui fermè mortem
non simulatam, nisi, igne evanescente, regressi qui-
dam

*Veteres in-
cola ponti-
ficiæ religi-
oni addicti.*

*Historia
horrenda
pæne divi-
na.*

C

dam

1853.
dam eum cruce solvissent, obiisset. Quoniam au-
tem hanc viam consiliū, quod cogitabat, non procede-
bat, κακόχαρτος ille aliam rem aggressus, vesperi ad con-
vivium, cui ceteri larvati Diaboli intererant, male-
dictis forsitan invitatus, redit, multos cyathos unam
cum illis ebibit, & strenuum combibonem se præ-
bet, finitoque convivio domum eos comitatur; Prin-
cipemque illorum in luto ita volutat, ut postea nun-
quam læto esse potuerit animo. Verum licet par-
tim hæc vidissent, partim famam accepissent, omni-
bus verò notum esset, flocci tamen fecerunt omnia,
nec abdicatis ex animo, quibus nimium assverant,
vitiis ac sceleribus, de vita emendanda ullam cogi-
tationem susceperunt. Quare ad improbitatem
minuendam, peste anno M. CCCC. LXVII. urbi
immisssa, dimidiam Civium partem justissimam in-
census iram consumi passus est Deus. Quamquam
nec sequentibus temporibus, posteaquam discussis
idolomanie erroribus puram ac salvificam Mega-
landri Lutheri doctrinam amplexa urbs erat, ca-
lamitatibus & flagellis DEI caruit: quippe anno
M. D. XXII. sub ipsum Civitatis illuminandæ cre-
pusculum orta pestis centum incolas absorpsit: Anno
M. D. XXXIII. quoniam ceteri urbem reliquerant,
triginta: anno M. D. XXXIX. quingentos: anno
M. D. XLII. viginti: anno M. D. LXVIII. quin-
gentos & quindecim: anno M. D. LXXXV. mille
quingen.

Numerus
peste ab-
sumpto-
rum.

1854
quingentos viginti quatuor: & deinde anno M. DC. XX. octingentos: anno M. DC. XXXI. bis mille homines. Sed animadvertendum est, causas Deum habere, ob quas Ecclesiam suam in hoc mundo cruci & afflictionibus velit esse subjectam: quas nunc non attinet commemorare. Cumq; nulla Ecclesia sit tam pura, quin admixtos habeat hypocritas, & extremæ quandoq; impietatis homines: sæpè etiam fit ut tota Civitas ac populus unius culpam simul ferre cogatur, secundum illud Poëtæ:

Πολλάκι καὶ ἕμπασα πόλις κακῶ ἀνδρῶς ἐπαυρεῖ.

Quem in modum anno M. D. XXXVI. urbis hujus incendium natum, & in eam totam grassatum videtur esse. Erat Senator Thomas Gregorius propè portam monasteriensem habitans, qui benè potus 4. idus Octobr. horâ octavâ pomeridianâ, domum rediit, & postquam cognovisset equi sui pedem securi vulneratum esse, equile ingressus, candelâ in stramen projectâ, servum fuste contundit, cumq; servus vapulans clamore stramen ardere indicaret, respondet: Ardeat in mille Diabolorum nomine, quâ voce prolatâ, continuò flamma stabulum arripuit, postea domum, deinde vicinos, & sic perrexit, ut sequente diluculo ultimas ædes combureret. Ita tota urbs, septem domiciliis & templo, à quo duo fabrilignarij Vulcanum Nymphis depulerunt, exceptis, decem horarum spatio in cineres abiit. In

Incendium
Gubenense
Anno 1536.

Templum
cum 7. ædi-
bus conser-
vatum.

1855

*Magistra-
tus hujus
Temporis.*

*Gubena
F I D A
vocata est.*

quo horribilissimo incendio tamen, Deo defensore, nullus hominum, nisi fur in carcere periit. Tantus verò stupor fuit, ut id quod maritus in cellam portaverat, marita rursus extraheret. Successu temporis Consules & Senatores prudentiores & magis pij veteribus successerunt, qui etiam probos viros Reipublicæ gubernaculis admoverunt, ut illorum beneficio nunc Gubinae Magistratus præsit prudentiâ pietateq; insigni, qui civitatem bonis legibus à majoribus sancitis temperat, urbemq; ab omni malo, quantum potest, defendit. Quis enim hanc urbem in officio continuit, ne, cum bellum inter Electorem Saxonicum, & Ferdinandum Imperatorem arderet, reliquarum urbium exemplo commota, hosti se dederet; sed fidem Imperatori promissam servaret immaculatam, unde etiam sola, FIDA vocata est, nisi Magistratus? Quis, cum ignis sæpissimè ortus nonnullas domus concremavit, vasa præparari; puteo cuiq; unum aut duo addi, trahisq; quò velociùs, ubi opus sit, ad incendium veni possent, ne aqua extinguentibus deesset, imponi curavit, nisi Magistratus? Quis in portis vigiles constituit; noctu viros, qui ignem aliaq; mala observent, horasque voce indicent, per plateas mittit, vitia punit, virtutes exornat, ædificia publica sartatecta conservat, nisi Magistratus? Versatur ante oculos, quod non ita pridem in Scholam hanc ornamentum contulit

Senatus,



Senatus, dum illam anno hujus seculi LVI. septi-
mento novo circumdedit, cujus in memoriam pa-
rieti in auditorio majori versiculi inscripti hi sunt:

Reparatio
1.
Ædificij
Scholastici.

Supra dimidium, bisq; octo secula, sextus

A partu matris virginis annus erat.

Mensis erat Majus, ridebant æquora, cœlum,

Vestitumq; novæ frondis honore solum:

Cum Schola fabrili rursus est circumdata sepe,

Et paries crustam cœpit habere novam.

Templi quoq; parochialis tectum refarfit, Organon
auxit, parietes dealbavit, quod hi versus in pariete
super Odèo scripti testantur:

2.
Templi &
Organi.

Annus currebat medius post secula bis octo

Dimidiumq; octavus, & hac domus alta columnis

Quæ fuit exterius, muros, tectumq; priore

Restaurata anno, calce est obducta recenti

Interius, Basisq; tribus simul Organon auctum.

Et quid multis opus est? res ipsa Magistratum
omnia urbi necessaria procurare, vetereq; in Reip.
administratione longè superiorem esse indicat:
Quamobrem etiam hodierni cives veteres artibus,
virtute bellicâ, pietateq; longè superant. Gubina
enim artium jam non est inops, omnes in ea florent,
insunt pistores, sutores, pannifices, laniones, fabri-
ferrarij & posthac, ut alia præteream, imprimis ob

Gubina ar-
tium non
inops.

C 3

typogra.

1857
Typogra-
phia insti-
tuitur

Anno 1662.

Gubena su-
stinet obsi-
dionem

svecicam,
Anno 1642.

Gubena
sincera reli-
gioni dedi-
ta,

Gubina
D. Lutheri
doctrinae
assentitur.

typographiam, quæ nunc instituitur, futura est
haud dubiè celebris: Viris non exigua eruditionis
supellectile instructis abundat, nec rei bellicæ peri-
tis ac fortibus caret. Cum enim anno *M. DC. XLII.*
à Svecis, quorum Dux erat Stalhanus obsideretur:
Hosti fortiter restitit, per duas dierum hebdoma-
des, diutiusq; se defendisset, nisi totus Svecorum ex-
ercitus appropinquasset. Proinde, quoniam ne
Hercules, ut ajunt, adversus duos, se in hostis arbi-
trium dedere, servareq; maluit, quàm tantâ stulti-
tiâ, veluti antiqua, perire, quod laude omninò di-
gnum. Ob hanc rem autem maximè laudanda est
urbshæc, quod repudiato fallorum numinum cul-
tu, verum Deum agnoscit, & doctrinâ, quam ipse
tradidit, acceptâ, fines nominis Christiani propa-
gat. De qua re, ubi pauca protulero, filum orationis
abrumpam, finemq; dicendi faciam. Veteres in-
colæ, ut supra demonstravi, verum ignorabant
Deum, in varias distrahebantur sententias, Deos
fictitios colebant, iisq; templum in prato urbis ædi-
ficabant: Posteriores aliquantò sapientiores, Deos qui-
dem illos non diutius honorabant; sed alios elige-
bant adjutores, sanctos invocabant, sculptilia &
idola adorabant, inq; sacrarum pandectarum &
symbolorum partes injuriola portenta finge-
bant. Cum autem D. Lutherus fundamenta Regni Baby-
lonici quassaret: Etiam Gubina anno *M. D. XXIV.*
illius

*Sprunger's Geschichte Luthers p. 201. de M. 200
Sueda Hist. Gubena p.*



1858
illius doctrinae assensum, qui ultimo papistarum
Pastori in votis fuit, dedit, papatui valedixit, &
postea, cum primi verbi divini ministri M. Nicolaus ^{M. Nicolaus}
Kümmel Pastor, & Franciscus Rast ^{Kümmel,} Diaconus ab ^{primus Pa-}
Imperatore (sine maximis enim periculis, sine Prin- ^{stor Luthe-}
cipum odiis usitatae religiones mutari non possunt) ^{ran.}
in exilium pellerentur, & Magistratus civesq; hujus ^{Franciscus}
loci conjunctim religionem Lutheranam eligerent, ^{Rast, primus}
& somnia pontificiorum odissent, iis penitus libera- ^{Diaconus.}
ta, Concionatores recipit, atq; anno *M.D.XLVIII.*
tertium duobus, quo verbum Dei eò saepius auribus
bibere posset, addidit. Quod & hodiè observatur, &
numerus Concionatorum idem est, eadem doctrina,
pontificiorum superstitio ex templis tum parochi-
ali tum duobus suburbanis exterminata, Ethnica
insania rejecta est, verbum omnipotentis Dei purè
prædicatur, uni Deo preces funduntur, nulliq; nisi
ipsi soli cultus religiosus tribuitur. Etiam quò pueri ^{Schola in-}
cum lacte quasi materno prima purioris doctrinae ^{stituta.}
Christianæ elementa imbiberent, Schola instituta
est. Cumq; palàm esset, multis sumptus ad paran-
dum victum, vestesq; deesse, Magistratus anno
M.D.LXXX. per Franciscum V Volffium tum tem-
poris Cantorem, pauperes aliquot pueros, qui cur- ^{Currenda-}
rendarij hodièq; nominantur, qui quotannis calce- ^{rij.}
os, vestes & pecuniam qualibet septimanâ colle-
ctam, ut & singulis septimanis bis panem accipe-
rent,

1859
Symphoni-
aci.
Schola non
infimi no-
minis.

rent, recepit: Majoribus verò pecuniæ canendo osti-
atim colligendæ potestatem fecit. Cum itaq; in hoc
ludo inopibus auxilium esset, artesq; liberales flo-
rerent: Magnus numerus ex aliis etiã dissitis regio-
nibus ad eum convolavit, & cum diligentiam adhi-
buerint, non parvus ex eo, tanquam ex equo Tro-
jano, virorum eruditione clarorum numerus pro-
diit, & adhuc prodit. Ex quibus liquidò constare
arbitror, neminem, Gubinam jam pietati litare, ire
posse inficias, idq; ideò majori laude esse dignum;
quod vestigia à Principe suo signata premat. Perge
igitur, perge in hac pietate, Principes tuos imitare:
Princeps tuus Illustrissimus *CHRISTIANUS* verè
Christianus, & Princeps tua Illustrissima *CHRIS-
TIANA*, ô Gubina, verè Christiana est, imitare;
inquam, Principes tuos, quorum proximè superio-
ri anno Calend. April. ad Te ingredientium & intra
urbem pernoctantium, in templo etiam concio-
nem ante meridianam audientium non tam faciem,
quàm pietatem insignem, clementiam admiran-
dam, humanitatem ac moderationem non satis
prædicandam, tanquam in nitidissimo aliquo spe-
culo, vidisti! Fuge seditiones, fuge maledicta, fuge
deniq; omnem impietatem, & ita tua politia jam
florens turbabitur nunquam. Ego autem, quoni-
am ferme per annos VI. in hoc amoenissimo Musæ-
rum hortulo versatus, horumq; annorum spatio
multis

1662
Gratiarum
actio.

1860
multis & innumeris beneficiis affectus sum, æquum esse, ut supra docui, quia referre in meâ manu non est, pro acceptis beneficiis gratias agere, mihi persuasi. Objiciat aliquis, quid gratias agere conaris, cum res sit suspecta, merita verbis, ut ille ait, reddi, tibiq; ad tam multa merita satis prædicanda, & pro iis gratias agendas verba desint, iisq; ea remunerare nequeas? Confiteor mihi tantundem esse, quantum Ulyssi, qui apud Alcinoûm nîl habebat, quod solveret, pro ingentibus meritis, præter vota & grates; meque etsi omnes mihi Cræsi opes essent, iisdem tamen vestra merita compensare non posse, nec etsi me totum, quantus sum, pignori opponerem, capitisq; auctiorem facerem, ullâ ex parte esse solvendo: At tamen credo sententiæ Senecæ, quod interdum benè egisse gratias sit retulisse. Ago igitur gratias primùm Amplissimo Civitatis hujus Magistratui, quod Scholam hanc & foverit adhuc, & nunc foveat, liberalitateq; suâ ac beneficiâ ornet, & quantum in Ipso est sartam tectam conservare studeat: Deinde vobis Dominis Inspectoribus venerandis, quod me hujus Scholæ alumnus fieri passi sitis: Gratias ago vobis Præceptoribus meis honorandis, quod me in album discipulorum vestrorum ascripseritis, & uti cæteros, tum catecheseos cognitione, tum Latinæ Græcæque literaturæ fundamentis imbueritis: Gratias ago vobis hospitibus

D

meis

Obiectio.

Solutio.

1.

Ab exemplo

Ulyssis.

2.

Dicto Senecæ Gratias aguntur.

1.

Senatui.

2.

Inspectoribus & Præceptoribus Scholæ.

186.

3.
Amicis.

meis colendis, quod me mensâ vestrâ participaveritis, & varia beneficia in me collocaveritis : Gratias ago vobis amicis meis maximoperè diligendis, quod animos vestros malevolorum quorundam invidia veneno perfusorum, benevolentiam erga me vestram in malevolentiam mutare conantium, sermonibus, vel potius maledictis, ab alienari à me non permiseritis ; sed me consilio & re juveritis. Ago gratias, & Deum vobis remuneratorem esse omnibus votis opto. Is, qui ab immensâ bonitate T. O. M. dictus est, merita in me vestra cumulâtè valetudine prosperâ, reifamiliaris incremento, summatim omni benedictione, tum æternâ beatitate, & beatâ æternitate compenset ! Postremò vobis ago gratias, condiscipuli charissimi, quod me in consortium vestrum accipere non dedignati, sed familiariter me usi sitis. Spiritus sanctus vobiscum esto, studiorum vestrorum cursum dirigito, iisdemque benedicito, quò aliquando vel Ecclesiæ vel Reip. utiles evadatis. Vobis singulis gratias ago, quas mente comprehendere possum, maximas, & meritorem in me vestrorum, quæ penè immunera sunt, me nunquam, quam diu spiritus hos meos artus reget, fore immemorem, polliceor,

4.
Condiscipulis.

Valete.





1862

Noscere quis q³ suæ cupit incunabula gentis,
Unde sit orta, quibus q³ auct^a subinde modis.
Ergo, Gubenatum, patriæ non conscius, urbis
Antiquæ faciem discere quisquis aues:
Huc ades, & TITII sermonem perlege, grato
Quem tibi discedens corde animoq³ dicat.
Non illum eloquij, mentis non ornat acumen;
Veratamen memorat, dignaq³ cuncta fide.

In memoriam sui per sexennium
Discipuli scribebat,

CASPARUS LANGHANSIUS,
Scholæ Gub. Rector.



96

1003922

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

In commission for the printing
D. J. J. J.

Christians Johann
Halle, 1711

W. J.



R. N. 153, 26.

X2021150

ORATIO V.
DE LAU
GUB
IN SCHOLA

publicè prid. Cal. Feb

PHILIPPUS JA
Sag. Siles. ejusdem S



Casio

*Invitat ad magna; qui grat
futuris recipit, qui tran
speratione frangitur, qu
roboratur.*

GUBENÆ, TYPIS

Excudebat JOHANN



43

de
te-
ne

F

